

ritus S. prædicari Evangelium certis locis, *Actor. XVI, 6.* eo ipso prudentiam commendans theologiam erga imprudentes Galatas, *Gal. III, 1.* ne darent, quod sanctum est, canibus, neque projicerent margaritas ante porcos, ne forte conculcarent eas pedibus suis, & versi, lacerarent Apostolos: *Matth. VII, 6.* Deinceps tamen prædicatum est, *Act. XVIII, 23.* coll. cum tota Epistola ad Galatas.

6. Quanquam etiam multi mortui sunt, omni tempore, qui nihil vel fando de CHRISTO audiverunt; propria eorum culpa id factum est, quod nihil præjudicat vocationi divinæ universali, *2 Thess. I, 8.* *Matth. XXVIII, 19.* *Gen. IV, 26.*

7. Posito, integros populos inveniri, inter quos nulla Evangelii indicia; culpa tamen tribuenda est illis ipsis, *Gen. VI, 3.* *1. Petr. III, 20.* *Gen. X, 5.* *Rom. I, 28.* non DEO vocanti, qui id, quod promisit, stabilivit inter omnes gentes, *Gen. XXII, 18.* *Num. XXIII, 19.*

CAPVT XXIV.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Pag. m. 125. Aphorismus 4.

Sacramenta non continent in se gratiam, aut rem signatam: neque eam ipsa conferunt, sed a DEO datam, obsignant.

Est falsus & erroneus. Quia

1. Licet vocentur signa; non tamen nuda sunt, auctororum, quoque, qui fidem per verbum DEI prædicatum jam acceperunt a Spiritu S. *Genes. XVII, 11.* *Rom. IV, 11.* *1. Cor. XI, 24. 25.* *Exod. XIII, 9.* instituta, in memoriam Christi, invisibiliter præsentis, *Luc. XXII, 19.* *Matth. XXVIII, 20.*

2. Equidem fidei statum prærequirunt in adultis; *Rom. IV, 11.* *Act. II, 41.* *Cap. VIII, 12. 37.* infantibus autem primum initiationis Sacramentum, baptisma, confert fidem, sine qua nemo beneficiorum Christi particeps fit, *Rom. V, 1.* *Gal. V, 6.*

B 3

3. Omnino